



**Francisci De Fargna Civitatis Plebis Patrii Philosophiæ,  
Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris ... Commentaria In  
singulos Canones De Jurepatronatus**

Qui sparsim tam intrà, quàm extra corpus Juris Canonici vagantur ...

**Fargna, Francesco de**

**Romæ, MDCCXVIII**

Casus IX. Argumentum. Translato Jurepatronatus Ecclesiæ Parochialis unà cum universitate bonorum ad Monasterium Episcopus an possit exigere, ut sibi erigatur ibi Baldacchinum, occasione visitationis ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72203)



torii S. Philippi Nerii in eodem solo propriis expensis reedificata, se ei opposuit præfata Religio, & disputato dubio: *An liceat Episcopo visitare Ecclesiam de qua agitur in casu &c.* Responsum fuit *Negative*.

#### ARGUMENTUM.

Translato Jurepatronatus Ecclesiæ Parochialis unâ cum universitate bonorum ad Monasterium Episcopus an possit exigere, ut sibi erigatur ibi baldachinum, occasione visitationis ejusdem Ecclesiæ?

#### SUMMARIUM.

- 1 *Erectio baldachini in Ecclesiis Regularium quando sit Episcopo permessa? & n. 6.*
- 2 *Regulares an impedire possunt erectionem baldachini in eorum Ecclesiis?*
- 3 *Regulares in quibus sint exempti ab Episcopo?*
- 4 *Visitatio Ecclesiæ est actus merè jurisdictionalis.*
- 5 *Actus Pontificales qui sunt?*
- 6 *Translata Ecclesia Patronali cum universitate bonorum ad Monasterium exemptum, Episcopus non potest in actu illius visitationis exigere, ut ibi erigatur baldachinum.*

#### CASUS IX.

**O**ccasione visitationis Ecclesiæ Parochialis Patronalis sitæ in Castro, titulo hujus emptionis, aut donationis translato, unâ cum Jurepatronatus ei annexo ad Monasterium A. exemptum, præventionem excitavit Episcopus erigendi ibi baldachinum. Quæritur an Episcopo visitanti dictam Ecclesiam quoad Curam Animarum sit permessa hujusmodi erectio baldachini?

Respondendum videtur negative. Ecclesia namque præfata Patronalis est dependens, & pertinens ad Regulares exemptos, utpote translata ad eorum Monasterium, vigore emptionis, aut donationis Castri cui annexa erat, adeoque exigere non potest Episcopus, ut sibi erigatur ibi baldachinum à Rectore ejusdem Ecclesiæ occasione hujus visitationis, dum erectio baldachini in Ecclesiis Regularium est solum permessa Episcopo ubi, &

quando in eis Pontificalia exercet, juxta decretum Clementis VIII. post *Quarant. in Summa Bullar. verb. Privileg. Regular.* & docent *Lezzan. in Summ. quæst. Regul. verb. Baldachinum num. 3. to. 2. & cap. 11. num. 3. tom. 1. Gratian. discept. 467. nu. 1. tom. 3. Barbof. de offic. & potest. Episcopi alleg. 80. par. 3. num. 16. & seq. Tamburin. de jur. Abbat. disput. 15. num. 17. tom. 1.* Et quidem optima ratione, quia erectio baldachini est accessoria functionibus Pontificalibus, seu eis actibus, qui sine Insignibus Pontificalibus, nimirum sine Mitra, Baculo, & Pallio exerceri non possunt, adeoque ubi, & quando in Ecclesiis Regularium permixta sunt Episcopo functiones Pontificales, censetur etiam permixta in eisdem Ecclesiis erectio baldachini, ad *Text. in cap. quanto de judic. Gratian. decis. 113. in addit. num. 8. & seq.*

2 Nec Regulares impedire possunt hujusmodi erectionem baldachini in eorum Ecclesiis, quando Episcopus velit in eis Pontificalia sibi permixta exercere sub prætextu exemptionis. Distinguendum est enim in Episcopo inter ea, quæ sunt Dignitatis, ea quæ sunt Ordinis, & ea quæ sunt Jurisdictionis, prout superius *Casu antecedenti* distinctum fuit. Licet enim Regulares vigore eorum privilegiorum sint exempti ab eis, quæ sunt Ordinis, ab eis, quæ sunt jurisdictionis, tamen non sunt exempti ab eis, quæ sunt Dignitatis, seu à jure reverentia, & obedientia debita Episcopo ratione ejus dignitatis, sed Episcopus accedens ad eorum Ecclesias ad solemniter celebrandum, aut ad alia Pontificalia exercenda, reverenter est ab eis recipiendus, erigendo in eorum Ecclesiis baldachinum, tamquam quid accessorium solemnæ celebrationi, aut aliis functionibus Pontificalibus. *Text. in Clementin. Archiepiscopo de privil. ibique Gloss. Imol. Vitalin. Fagnan. in cap. quia nos de auctoritate, & usu Pallii n. 13. Lezzan. in Summ. quæst. Regular. cap. 11. num. 3. tom. 1. Pignatell. consult. 106. nu. 3. & seqq. tom. 10. Rot. in Constantien. jurisdictionis super bono jure 13. Aprilis 1714. S. Præcipue, coram Eminentiss. Scotto.*

Quando autem Episcopus visitat Ecclesiam Regularium quoad Curam Animarum, non exercet Pontificalia, dum visitatio Ecclesiæ non est actus, seu functio Pon-



Pontificalis, sed est actus merè jurisdictionalis competens Episcopo in Ecclesijs Regularium ratione Curæ Animarum, juxta *Concil. Trident. sess. 25. de Regular. cap. 11.*, & dixi superiùs *Casu antecedenti*, omnino independens ab Insignibus Pontificalibus, nec exigens ad sui perfectionem, ut Episcopus utatur hujusmodi Insignibus, minusque connumeratur inter actus Pontificales, dum isti sunt solum Missa solemnis, Ordinum celebratio, frontis Chrismatio, consecratio Basilicarum, & Virginum, & omnes illi actus, qui sine Insignibus Pontificalibus expleri non possunt. *Barbos. de offic. & potest. Episc. par. 2. alleg. 6. num. 3. Lezzan. in Summ. verb. Baldachinum num. 4. tom. 2.*

6 Ac proinde Episcopus in actu visitationis Ecclesiæ Regularium, quoad Curam Animarum exigere non valeat, ut in ea erigatur sibi baldachinum ad explendum hujusmodi actum visitationis, cum erectio baldachini sit permissa Episcopis in Ecclesijs Regularium, solum quando ibi peraguntur functiones Pontificales, juxta præfatum decretum Clementis VIII. ibi— *Eo tamen dumtaxat tempore quo Pontificales ejusmodi functiones exercebunt, vel dum actus ipse, cui in Pontificalibus aderunt, peragetur.* Ergo in aliis casibus, & quoad alios actus non Pontificales erectio baldachini erit eis in dictis Ecclesijs prohibita. Dictio enim *dumtaxat* excludit omnes alios casus præter expressos, ad *Text. in l. 3. §. cum Titio ff. de adim. legat. Paris. conf. 47. num. 18. lib. 4. Mascard. de probat. conclus. 1393. num. 37. Tusch. lit. D. conclus. 388. num. 2. Barbos. diction. 97. n. 4.* Et ita in terminis visitationis resolutum fuit à Sacra Congregatione Concilii in una *Mediolanen. lib. 2. decret. fol. 174.* ubi in responsione ad quartum dubium, ubi quærebatur — *An Episcopo Monasteriorum clausuram visitare volenti, dictæ Moniales teneantur erigere in Ecclesia exteriori, vel interiori sedem cum baldachino, vel solummodo sufficiat illi stratum preparare in utraque Ecclesia—* dixit— *sufficere præparationem strati—* relat. per *Matthæus. Offic. Cur. Eccles. cap. 11. num. 11. pag. mibi 79.*

7 Verùm in hoc casu censeo quidem respondendum negativè, non ob rationem superiùs insinuatam videlicet, quia Ecclesia hæc Patronalis est dependens à

Monasterio, dum dependentia, quam habet hæc Ecclesia à Monasterio non est respectu jurisdictionis per Abbatem in ea exercendæ, cum vigore præfata translationis ejusdem Ecclesiæ ad Monasterium, ista effecta non fuerit exempta à jurisdictione Ordinarii, & subjecta jurisdictioni Abbatis, sed respectu præsentationis, eo quia præsentare Rectorem ad ipsam vacantem spectat ad Abbatem; sed ratio, quare Episcopus non possit exigere, ut sibi erigatur in dicta Ecclesia baldachinum à Rectore occasione visitationis mihi videtur esse, quia erectio baldachini non est necessaria ad explendum actum visitationis, cum hæc ex supradictis non sit functio Pontificalis, sed solum actus jurisdictionalis.

## ARGUMENTUM.

Episcopo habenti ex privilegio usum Crucis, an liceat occasione Jubilei, aut expositionis Venerabilis ingredi Ecclesiam Patronalem translatam unà cum universitate bonorum ad Monasterium cum Cruce erecta?

## SUMMARIUM.

- 1 *Accessus Episcopi ad Ecclesiam Regularium tripliciter considerari potest, & quanam sit differentia inter unum, & alterum accessum? Vide ibi.*
- 2 *Translata Ecclesia Patronali unà cum universitate bonorum ad Exemptos, potest Episcopus habens ex privilegio jus deferendi Crucem, illam ingredi Cruce erecta etiam in accessu voluntario.*
- 3 *Et etiam si Ecclesia Patronalis sic translata præsupponatur exempta, & num. 8. Amplia ut num. 9.*
- 4 *Insignium species est duplex.*
- 5 *Delatio Crucis in Archiepiscopo an sit signum jurisdictionis?*
- 6 *Crucis delatio in Episcopo habente ex privilegio jus deferendi Crucem non est signum jurisdictionis.*
- 7 *Usus Mitre, & Baculi concessus alicui Dignitati in Cathedrali, seu Collegiata, non est in ipsa signum jurisdictionis.*
- 10 *Refertur resolutio Sacre Congregationis Concilii in Lucana juris deferendi Crucem.*